

Diuturnioris de Beckio silentii, quod mihi rerum quarumdam necessitas imponere videbatur, finem ut facerem, et mea me pietas adduxit et gravis saepe multorum exhortatio. Neque enim satis erat de natalibus eius, rebus studiisque iuvenilibus exposuisse atque viri, et maxime doctoris academici et scriptoris informasse imaginem: sed, quum eius aetas in ea incidisset tempora, quibus academia maiore libertate utebatur, quam nostris, et communis magistrorum consilio regebatur, ere erat cognosse, quae hoc in genere partes fuissent Beckii. Quem quis non meminit pro more illorum temporum villarum praefectum et censorem librorum philologicorum et duumvirum libris omnis generis censendis perpetuum, inter philosophos modo procancellarium vel decanum, modo Universitatis rectorem in paucis studiosissime clavum tenuisse academicum? Quod quanti fuerit, ut recte intelligent omnes, qui non nisi hodiernum academiae statum norunt, antea de eius aetate aurea dicendum videtur, qua exeunte ille senex iam septuagenarius ultimus rector fasces tenuit, non summa quidem auctoritate commissos, sed iam non paucorum professorum, secum communibus omnium magistrorum iuris optimi academicorum suffragiis decretos.

Ipsa vero natura eum videbatur praescripsisse ordinem, quem tum non modo auditorum lege vetitus, sed etiam doctorum coetus antiquo ritu sequebatur, non disciplinarum studiis distentus, sed locorum natalium et nationum communitatibus sociatus. Erant autem quattuor magistrorum nationes, penes quas summa erat academiae, prima Saxonum i. e. Vitebergensium, An-

haltinorum et locis trans Albim et ulterioribus oriundorum, altera Misnensium totam Saxoniam intra Albim et Saalam complectentium, tertia Francorum sive Bavorum h. e. in extrema Thuringia occidentali et ultranatorum, denique quarta Polonorum, quibus etiam Lusatii et Silesii nomen dabant. Nationes autem recipiebant neminem, nisi qui Lipsiensis magisterii philosophici iura optima i. e. in academia docendi veniam commentatione defensa adeptus erat. Lipsiae tum quidem peregrini magistri, sive qui nunc doctores appellari malunt, nostris inferiores et erant, et habebantur: nostri vero regere academiam dicebantur, et regebant. Magistri tum in senos quoque menses rectorem creabant, nationum sequentes ordinem, et ipsi concilii academie perpetui *assessores*, qui rectori a consilio essent, singuli cuiusque nationis in semestre tempus creabantur. Ac ne rector quidem magistrorum suffragiis creari poterat, nisi magister. Quod institutum et auctoritatem afferebat magistris, et rerum gerendarum facultatem, et semestre salaryum, et perpetui stipendii in maiorum item ac minorum principum aliisque collegiis nanciscendi spem. Summi igitur prabentae comitiorum rectori creando constituti erant quaterni nationum, suae quisque, seniores cum ordinis philosophici decano coque magistratu maiore: minores enim ferebantur ceterorum decani ordinum. Horum doctores maiore dignitate erant, illius quamquam in communi vita magistri dicti, tamen maiorem auctoritatem obtinebant. Id praeter alia luculentissime docet antiqua salutatio regia *magistrorum et doctorum academie Lipsiensis*. Illa vero nationum et magistrorum potestas antiqua minuto salario sensim sensimque ita decrevit, ut non posse nostra aetate stare intelligeretur ab omnibus, nisi ab academicis. Nam primo quum mirum quantum disparres essent civium numero nationes, aequis autem iuribus uterentur, ne ea quidem natio, cuius nulli essent professores ordinarii aliive excellentes scientia vel de-

academia bene merentes viri, defectum alienigenis adoptandis sponte supplebat ac tam diu adoptioni reniti saepe solebat, dum non haberet professorum *antiquae fundationis* ordinarium, ad quem summa academiae potestas deferretur. Quid? quod quum inter Polonos novissimis temporibus nullus esset professorum XXIII antiquioris ordinis, ista natio in comitiis semestribus nec substituta in suum ipsius locum alia natione sese praeteriri passa est, et effecit, ut restituto more antiquo Müllerus, juris professor extraordinarius, academiae rector crearetur, novo nomine *rectoribilis* dictus ab ordinariis scilicet. Deinde aliud accedebat incommodum, quod, qui se facile stipendiarios posse fieri sperarent, homines peregrini, saepe ingenio, scientia et facundia mediocres, istuc commigrabant, vel, qui nihil aut parum prodessent academiae, parvarum nationum indigenae collegiorum stipendiis levabantur, numerosiorum autem nationum novitii spei optimae iuvari non poterant, earumdem veteranis ornandis saepe non sufficiente illorum stipendiorum numero. Quo intellecto rex nostri patruus Fridericus Augustus non minus sapiens, quam iustus constituendae academiae duumviro misit Reinhardum, Kindium et Nostitium, instantibus quartis sacris saecularibus: quo quidem tempore, duabus in regno florentibus academiis, plerique omnes doctores non modo indigenae, sed etiam alumni almae matris amantissimi plus valebant, quam ut Reinhardi Vitebergensis antea professoris sententiae concederent, minoris sororis instituta maiori anteponentis. Postea iidem, regno diviso et luminibus academiae Vitebergensis magnam partem huc translatis alijsque aliunde advocatis doctoribus, frustra advenis nostra instituta improbantibus, dissudentibus et deserentibus. Quotiescumque enim nationum comitia indicebantur, pauci conveniebant, sive quod speciosa esset rectorum creatio, plerique autem paucorum dominationi servire nollent, nedum blandiri, praesertim si qui Latino sermoni non admodum adsuevissent, sive quod parvi es-

set pretii assidere perpetuo academiae concilio, magni vero laboris crebris et saepe mendacio protractis interesse de iuvenum petulantia quaestionibus. Unde factum est, ut rectoris nomine diu quadripartitum imperium tenere viderentur qui per vices sibi succedebant, interposito magnae Misnensium nationis aliquo, Beckius, Tittmannus et Müllerus, his autem saepe iidem assessorum adiungerentur, quorum in numero non facile quemquam saepius fuisse memini, quam Beierum, corporis figura per exiguum, sed doctrinae copia gravem. Quae res his apud multos tanto contemptui fuit, quantum illis apud nonnullos invidiae. Antiqua autem ista institutio, quae nostris litteris atque artibus scholasticis fructuosa erat et salutaris, Beckio non potuit non placere, ex qua non modo ipse plurimum utilitatis cepisset, sed etiam litterae studia academia. Haec enim nullo tempore florentior fuit, quam quo benigna erga iuvenes magistros mater esse videbatur, et proiectis aetate optimeque promeritis ultro gratiam rependere augendis honoribus et praemiis. Hinc non facile accedit, ut novocali in suos odio exterorum patrocinium susciperet, sed praeter ceteras una vel maxime excultos antiquarum studio litterarum viros completeretur. Haec igitur omnia susque deque haberi aegre ferebat ille vir, qui videret posse Saxones suo lumine splendere, si instituta a maioribus accepta pie et prudenter tuerentur.

Tum ex quo, civibus academiarum in rerum novarum suspicionem adductis, rectori magnifico duumvir additus praeter fasces sine securibus nihil reliqui fecerat: non modo inter utrumque de principatu academico, sed paene omnium academicorum studiis vel aperte agitata, vel saltem gliscere visa est de artium honore contentio. Quicquid enim erat Musarum Lipsiensium, non tam illis suspicionibus, quam imminutis honoribus offendebatur, idque tanto magis, quanto fideliores etiam tum erant Saxones in principes suos et patriam, et quanto maiore in honore litterae et artes haberi videbantur, pallio pur-

pureo et fascibus aliisque insignibus summo magistratui
academico tributis. Quid? quod haud secus, ac Pallas
apud Horatium proximos Iovi honores occupavisse di-
citur, rector academie Lipsiensis in regno secundum a
domo regia locum communi nostrorum opinione ob-
tinere, neque igitur proreector appellatus esse pu-
tabatur. Quanto igitur de fastigio ille deiectus esse vi-
debatur, quum inter geminos duumviri honores locum
capessere iussus est, quantumque deminutus litterarum
splendor existimabatur, quum Phoebus, excusso Phaë-
thonte, currum non ipse regendum recepit! Accessit, quod
nationibus sublatis et earum bonis publicatis, et aliqua
iurium parte solis professoribus ordinariis relicta atque
adeundi regis venia data, ceteri habebant, cur dolerent
accisis honoribus et potestatis opumque titulis ademptis.
Quae quum ita essent, ego protestando iura antiqua ser-
vanda regemque appellandum censui, dissuadente qui-
dem Beckio tum forte rectore magnifico, sed hoc sub-
ornante rem moliri visus. Ego enim habere mihi vide-
bar, cur et molestius ferrem sortis iniquitatem, quam
ceteri extra ordinem professores animos in spem sac-
cessionum meliorumque temporum erigentes, et irasci
auderem, fretus et iustitia caussae et meae libertate
conditionis, ex nullius praemii academici spe pendentis.
Ubi vero cognovi, quam indignis suspicionibus preme-
retur Beckius, mihi in parentis loco habitus, quamque
parati essent plerique collegae mei ordinis ab Antonio
rege clementissimo litteris communibus petere, ut erepta
nobis iura et beneficia restituenda curaret: protestari
quidem destiti, sed consortes in consilium vocavi. Ne-
que horum principem, iussum nostro nomine litteras
scribere et volentem, potuit a caussa communi abalienare
professiois ordinariae aliorumque praemiorum promis-
sio. Tum vero sensi, quanta Beckius animi magnitudine
non ferret, sed sperneret indignitatem rei et orationis
superbiam, odiosam sane atque invisam, quantoque
studio animum levaret metu offensionis. Tum saepe

conquerebatur res academicas novando non emendari, sed pessum dari. Neque vero mirum erat, senem placidum extremo vitae tempore non unum ausum esse reprimere impetum, quem nonnullis suorum aliisque potentioribus probari sciret. Haud sane, credo, verebatur, ne, si provinciam suam fortiter defenderet, ingratu*s*i*is* esse videretur, a quibus omnium academicorum primus paullo ante latum clavum acceperat, sed ne, si coepit impedire aut retardare conaretur, quorum nonnulla quidem academiae saluti fore opinaretur, re infecta discedens nominis famam macula adspergeret, aut victor non plus prodesset suis, quam officeret. Exoptatus autem utrisque partibus rector factus erat, non minus alteris rerum novarum studiosis, quibus non magnopere repugnaturus videretur, quam antiqua probantibus alteris, quarum iudicio si non animosus et fortis propugnator, certe fidus prudensque gubernator putaretur. Quoniam vero tum dubiis sententiis delectus est, rem paullo accuratius retulisse multorum intererit, praesertim quum antiquis caerimoniis illis tum valedixerit academia.

Comitia autem rectoris tripartita erant: primum enim deliebantur a singulis nationibus singuli, plerumque magistrorum academicorum novissimi, qui deinde ex vetustiorum numero doctorum deligerent binos cuiusque nationis creatores quinque veteranorum, a quibus praesente philosophorum decano summus magistratus constitueretur. In his creatoribus ultimis bini erant eius nationis, ex cuius magistris unus erat designandus. Sic autem usus ferebat, ut primo ab his designatoribus natio creatrix constitueretur, deinde constitutae bini illi suorum aliquem rectorem crearent.

Postremis autem illius obsoletae quidem, sed liberioris formulae comitiis (a. MDCCCXXIX.) praeter consuetudinem pauci aderant, antecessores veterani item ac novitii magistri, vel quod instante academiae periculo clavum tenere nollent, vel quod nec communi admini-

stranda rei academicae studio et prisorum rituum fastidio tenerentur. Ac prolatis ultra modum comitiis praesentium quidam sensim se subduxerant. In his etiam ego futurus eram, nisi nationis meae i. e. Misnensium seniori mansurum me promisissem et Beckii consalutandi desiderio motus haesissem. Nullus Misnensium professorum antiqui ordinis ne invitatus quidem et vocatus in comitia venit, ne rector velle fieri videretur. Nihil igitur mos a maioribus acceptus reliqui fecerat, nisi ut in illius nationis locum substitueretur Bavarorum proxima, aut, quae fasces hactenus obtinuerat, Saxonum vicibus fungeretur. Bavarorum nullus erat, qui recte posset succedere Beckio. De provincia igitur proroganda Misnensibus convenerat, et in his etiam alteri de binis creatoribus ex Polonorum natione suffecto. Quod quum aegre ferret Bavarus tertiiis comitiis habendis praefectus, actione tardanda dividendisque duorum Misnensium sententiis operam dedit, ut non ille quidem in munere maneret. Quod isti quidem successurum erat, nisi nationi meae ego fuisse obsequiosior, quam alter.

Haec ultima igitur antiquae formulae comitia documento fuerunt, ne quattuor quidem tribus academicas anno ante aequali doctorum numero, sine ullo locorum natalium respectu, salvis dumtaxat nationum nominibus, compositas tuenda libertati academicae et saluti conservandae potuisse sufficere. Quamquam omnis illa institutio antiquior maiorem a iustitia et aequitate commendationem habuit, suam cuique magistro dignitatem, mercedem aut certe aliquam praemii parium iudicio obtinendi tribuens spem, quam quae posthac, sublata magistrorum communione, paucos imperiis et honoribus ornasse videtur, ceteris autem adeundi regis, rectoris creandi, disciplinae tuendae iure exclusis, communis potestate imminuta, nonnisi inanes honorum titulos retiquisse. Quod quum Beckius secum reputaret, tantum abfuit, ut antiquis institutis et moribus inhaerens *laudator temporis acti* exsisteret, ut satis haberet dicere,

nos delicta maiorum immerito luentes progeniem daturos esse infeliciorem.

Ita non tegebat veram animi sententiam, sed, quae erat moderatione, studiose leniebat; ita temporum iniquitatem admirabili animi aequitate perferebat, ut sorte sua si non beatus videri, saltem contentus esse studeret; ita, quem ex imminuta litteratorum hominum academorumque potestate et dignitate medullitus perciperet, dolorem reprimebat et vincebat, ut minoribus natu sapientiae exemplum praeiret. Neque enim adeo hominem ex homine exuerat, ut ab indignatione et ira alienus esset, actorperet et langueret, neque ea timiditate erat, ut iniuriam acceptam dissimularet, nec imminentem arceret. Ea si mentis mollitie fuisset, nec tantus exstisset vir, quantus vere fuit, nec tot et tantas laborum molestias superasset, quot et quantas pertulit incredibili litterarum amore impulsus. Hanc vero legem sibi scripserat, ut cupiditatibus coercendis studiorum fructum sibi pararet optimum, quem in liberalitate, urbanitate, humanitate cerni putabat, atque istarum virtutum exemplum ut haberent qui sequerentur dux commilitonibus praebuit omnibus. Sic, neglecto rei familiaris studio, remissius agebat in constituendis exigendisque honorariis, nec minus affabilis facilis promptusque excipiebatur iuvenum sermonibus, nulla garrientium importunitate gravatus, atque etsi iuvenum arrogantiae occurrentum putabat, tamen clemens et humanus monitor errantium censor et iudex fuit. Quod qui vitio verteret Beckio, nae ille nesciret, plerosque illius discipulos in primis humanitatis laude excellentes, magnam eius partem doctori suo acceptam referre.

Pari modo interdum doloris acerbitate motus non diffitebatur, quam moleste et indigne ferret praesentem academiae casum, sed tamen cavendum censuit, ne exacerbandis multorum animis committeret, ut in errores inciderent, qui eadem moderatione iniquitatem rerum novarum et incommoditatem sustinere non possent.

Neque erat, cur suo iure cederet aliorumque iura intercidere pateretur, sive rumusculos hominum sive praefectorum sententias reformidans. Ea enim qui virtute praestat, qua Beckius omni aetate eminuit, hunc firmat et erigit bene actorum conscientia, neque ulla urget et frangit rerum faciendarum vel preferendarum molestiarum necessitas.

Itaque haec tempora, in quae extrema illius viri aetas incidit, plena mutationum et conversionum, vel maxime argumento sunt, qua fide religione et sanctitate res academicas superiore tempore gessisse sit existimandus. Quotiescumque rector erat, a suis aegre quidem adductus est, ut, quod licebat, semestres scholas publicas intermitteret. Doctorem enim academicum nulla re plus posse, quam docendo, academiae prodesse, certum habebat. Nihilo secius omnibus conveniendi sui potestatem quotidie facere consuevit, incertis consilio et auxilio indigentibus adesse, omnino nihil praetermittere, quo collegarum item ac commilitonum animos sibi conciliaret, et salvam praestaret academiam. Singulas enim quasque virtutes, quibus eum in rebus gerendis excellentem videres, depraedicando non placuit imitari seniores et ordinis philosophici decanum, olim de rectoribus provincia decedentibus, iudicium vel censorum instar, sententiam i. e. laudationem dicentes. Nam ut dignissimos quosque illis honoribus viros regendae academiae a collegis praefectos esse consentaneum est, ita illas orationes omnes argumento esse sui simillimas necesse erat. Sed tamen hoc affirmaverim, tanta eum dexteritate administrasse res, ut paucum eo comparari possent, sive quod, quid e re esset, facillime animadverteret, sive quod, quandocumque dubitaret, peritos rei viros consulteret, et, quae digne posset, ipse faceret, et quae deberet, aliis sua cuique officia exsequenda relinqueret, nihil trahendis consultationibus differret, nec res festinaret et festinatas emendando tempus perderet. Summa autem eius ars in eo erat posita, ut tempori parceret, et quaeque

suo et tempore, et loco faceret, atque ita temporibus inserviendo offensiones hominum caveret, aptas rebus perficiendis occasiones non praetermitteret, opes non disperderet, sed saepe una re efficienda compluribus consiliis rationibus muneribus satisfaceret.

Sic eius maxime consilio atrium Paullinum sepulcris dirutis purgatum, sepulcrorum loco tabernas institoribus patefactas, viam his proximam cippis feralibus stramat, porticum superimpositam, redditus atrio et tabernis paratos colligendo aeri ad aedem Paullinam post bellum reficiendam necessario: nec minus utiliter alia in villis, quibus praefectus erat, earumque agris instituta et facta esse constat. Item fama est proditum, more a maioribus accepto, quicumque ad magisterii honores adspirarent, candidatos iure iurando affirmare debuisse, se non adulterinos parentum suorum esse filios. Quod quum nec commode praestare possent, nec honestum esset honoribus arcere eos, qui non suo vitio nati beneficium naturae patrimonii loco accepissent, neque ullis nisi ingenii facultatibus fortunae periculum facere possent: ille auctor fuit, ut ea lex abrogaretur, meliore animo olim, quam consilio condita. Nec sane propterea minore in honore haberi coepi sunt magistri, etiam adulterinis tributo partae eruditionis docendique facultatis testimonio vero videlicet. Denique illud, quod memoravi, consilium doctorum academicorum quattuor nationes, immutatis regni finibus, in totidem cognomines tribus numero pares mutandi, si recte memini, Beckii suasu iniit academia, imminentia maioris conversionis pericula declinans tantumque tribuens iustitiae in dispensandis Friderici Mauritii aliorumque principum beneficiis desideratae. Ego quidem vidi, quanto studio ille adesset omnium ordinum magistris et doctoribus suam cuique nationem sortientibus, neque igitur dubitavi, quin eius rationis, quam necessariam illis temporibus et academie salutarem iudicaret, ipse auctor esset et suasor. Quae rogatio etsi non sperato fuit exitu, tamen ab indige-

narum moderatione et aequitate magnam commendationem habuit. Praeterea in libris censendis non adeo supersticiosus fuit, ut rescindenda putaret perversa omnia, aut aulicis hominibus nimium velificaretur, sed liberalis admodum in scriptores et lenis. Hinc saepe lenem medelam adhibuit locis notae censoriae obnoxii; hinc homines quosdam paupertate non minus, quam commentandi cupiditate laborantes et refractarios mercede sponpi aut conduci voluit; hinc denique factum est, ut, quod senex aliquando oculis conniventibus censuisset, censor politicus repente ministris regiis, incertum utrum de sua, an aliena de sententia, exauctorandus videretur. Quia in re quum ignominiam esse existimans exeunte iam anno se illo munere invidioso abdicare mallet, hoc casu potius, quam summorum censorum concessu consequi visus est. Nam quum, per paucos tantum dies rem ut ad anni usque finem comperendinarent, roganti non concessissent iudices, scribae decretum non ante, quam anno vertente Lipsiam miserunt. Unde illos quidem etsi Beckianam censendi rationem non improbarent, tamen, quod nescio cui necessitati parendum opinarentur, severiores videri, quam reapse esse voluisse suspicor. Denique, ut etiam hoc exemplo utar, bibliothecae administranda officio fungenti idem accidit, quod plerisque bibliothecarum praefectis, ut non, quod aliarum disciplinarum libros ignoraret, suarum potius emeret eos, quos in deliciis haberet, sive quod tum non sufficerent redditus, sive quod saltem eam partem nolle negligere, quam ornatiorem a maioribus accepissemus, quam ceteras, et Schaeferianaee bibliothecae accessione multo magis auctam esse laetaretur, medicorum autem librorum ex Gehlerilegato maiorem in modum crevisset copia. Bibliothecae quum Schaeferum sua universitati vendita praeficerent, ipsum vero Beckium hoc misso munere honesta pensione ornare vellent, malle se professus est sine pensione manere in munere, quam ab hoc cum illa discedere. Itaque cum Schaefero illius

praefecturae honorem communicavit, et quod a prima usque adolescentia librorum colligendorum studium prae se ferebat, ne in senectute quidem depositus, ut vel paucos illos, quos non ipse in copiosissima bibliotheca sua habebat, ex academica commodatos, velut amicos longo usu carissimos, dimittere aegre videretur. His exemplis multa alia facile possem addere, si hoc agerem, ut, quas deinceps gessisset, res omnes ordine copiose exponerem. Sed quum satis esse videretur ostendisse, qualis ille fuisset, non faciendum putavi, ut actum agerem et post alios enarrarem, quoties rector academiae vel ordinis sui decanus vel procancellarius, quamdiu huius et illius itemque nationis Saxonicae senior, villis iuxta, ac bibliothecae vel surdorum eorumdemque mutorum scholae praefectus fuisset.

Superest autem, ut, quibus laudibus et honoribus grataque animi documentis Beckium sua aetas ornaverit, significandum videatur. Nam ornamenta, quae in longo vitae cursu ei obtigere, referre omnia longum est, et, quum honoris certe titulos monumenta festorum dierum semisaecularium contineant, hoc loco supervacaneum. Qua autem dexteritate res etiam ab ipsius studiis alienas gerere posse videretur, iam primis a suscepto munere annis est cognitum. Quamobrem quum academia Lipsiensis ipsa suas res olim administraret, et multa munia professorum patientiam exercerent, Beckius iam anno superioris saeculi XC. a collegis dignus est habitus, qui bibliothecae, ac duobus annis post, qui villis praeesset academicis. Idem quum, quantum doctrina excelleret, eliam exteri inteligerent, a multis undique litteratis societatum suarum honoris caussa sodalis delectus est. In his quo longinquier est Petropolitana academia, eo maiorem voluptatem ipsi attulit honorifica eius salutatio. Fit enim ferme, ut, qui iam ab aequalibus suis in remotis terrarum locis colantur, quam longissimam sui memoriam effecisse sibi videantur, atque apud seros usque nepotes eam superstitem fore confidant. Quae quidem

spes quam sit in hominum Christianorum item, ac profanorum animis efficax, omnis fere docet rerum gestarum historia. Eadem vero ut magistra virtutis inter profanos exstitit, sic ne Christianis quidem comode posse deesse, nedum vitio verti videtur. Item magno semper in honore habitus est, nec dubium fuit, quin eius potissimum consilio in regendis rebus academicis et constituendis considerent, penes quos summa erat potestas. Quare anno post redditum regis i. e. huius saeculi XVI. equestribus novi ordinis insignibus decoratus redarguit eorum cavillationes, quibus videretur aliquam suae fidei suspicionem movisse, misso interim ad Alexandrum Russorum imperatorem opere universae rerum historiae. Immo eodem tempore tantum ipse valuit, ut suspectum alienati animi Böttigerum, quantum posset, maxime omni suspicione liberaret. Neque hoc dedit suavitati amicitiae, iuvenilibus iam annis iunctae, sed amici virtutibus. Hunc enim sic norat, ut alterum se. Tanto utsique alterius studio tenebatur, ut ne Cicero quidem et Atticus plures sibi epistolas scribere potuisse, ipsi vero Dresdam et Lipsiam arctiore vinculo constringere velle viderentur. Ac quotiescumque Böttigerus vernis nundinis Lipsiam veniret, quae fata libelli veteres haberent, quos novare, quos iungere, quos dispescere, quos continuare, quos inchoare, quos mittere vellent, quos secum attulissent, a librariis locorum omnium percontaturus, iisdem vero vicissim latus sententiam et consilium daturus, devertebat ad feriatum Beckium suum, veterem recolens amicitiam. Tum vero praeclarus utsique litterator, alter ex alterius, fontibus haurire incipiebant, totius anni circumacti cursum litterarium repetentes, et privatis sermonibus πολιτευόμενοι. Quoscumque autem illi consenserent, praesertim cum Tittmanno et Hermanno convivantes, ex his qui tum vere Socraticis conviviis intererant tantum voluptatis capiebant, quantum adspectus tantorum virorum oculis, et auribus eruditionis copia et

sales Attici, urbanitas sermonis mentisque probitas ultiro praebebant. Sic quicquid contingaret alteri, ad alterum hoc pertinere videbatur. Quam ob caussam fieri non potuit, quin Böttigerus in primis laetaretur honoribus praefecturae Beckio in equestri Saxonum ordine anno h. s. XXIX. attributis, et *Herculem* laetitiae testem mitteret, multis aliis congratulantibus. Denique anno superiore, quo magisterii adepti memoriam instauratus erat, Beckius, qui theologiam, per XLIX annos Lipsiae docuerat, Erlangensium theologorum decreto theologiae doctor appellatus est paullo ante, quam iisdem honoribus etiam a Lipsiensibus est auctus. Iam quum hi illorum exemplo moniti esse viderentur, mihi aperte dixit, accepta sibi esse etiam tum Lipsiensium ornamenta, quamquam serotina, gratiora vero sibi futura fuisse, sine invidia olim et ultiro data, tradenti theologiam, quam tradere desinenti. Nec multum abfuit, quin etiam alia academia eodem modo patefaceret, quanti penderet Beckii merita de theologia per longum tempus parta praeclare scriptis et iuuentutis magno semper cum applausu exceptis institutionibus, nisi tum Erlangensium professor s. v. Winerus, qua erat erga Beckium pietate et apud collegas suos auctoritate, effecisset, ut sua academia ceteras sorores anteverteret. Tanta igitur fuit virorum excellentium in ornando excellente Beckio aemulatio, ut dubitares, utrum benevolentia potius erga benevolum, quam meritorum admiratione nata esset.

Postremo, qualis domi fuerit Beckius, non est, quod taceam. Non minus enim domi eluxit virtutibus, quam meritis de re publica et litteraria. Qua autem erat humanitate, verecundia et modestia, sic domi suae delituit, ut, quam beatus ipse esset cum suis, nemo facile opinaretur. Quum hanc in academiam venisset, fama ubique obtinebat, Beckium sic in libris habitare, ut vix binas quotidie horulas viveret cum suis. Tantum litterarum studio avocari a vita domestica videbatur, ut

rerum humanarum cura parum affici videretur. Iam quum eadem fama adderet, eum adolescentem maturo coniugis suae amore tactum, ab eius patre, Hedwigio artis botanicae scientia claro, potentem, ut sibi filiam, teneram virginem, desponderet, tulisse responsum, studio munus, munere coniugem merendam esse: non minus amabilis, quam admirabilis visus est, qui utroque in genere constantiam probasset et dignum virtute sua geminum adeptus esset praemium. Plura dicere volentem impedit verecundia: hoc autem dixisse sufficiet, totam domum singulari ordinis domestici studio ad iuvandos domini labores gubernatam, amore omnium mutuo, concordia et pace beatam, nullius rei desiderio urgeri illo tempore mihi visam esse, quo ego post Guilielmi cl. fratri discessum eadem in domo sedem fixissem. Ibi duos iam annos habitaveram, quum primum lenem illum Beckium audivi acrius obiurgantem ministrum suum, et iam in tempore irasci ac vim verbis addere laetus cognovi. Iam diu enim iste servus abusus erat domini sui clementia.

Quanto laetiorum autem speciem piae se ferebat pietas alterius Aeneae et uxoris observantia in matrem, ad seros usque annos in filii domo habitantem († anno MDCCCXIX.) Praeterea duo erant filii, alter Ludovicus, qui superstes nominis sui fama viget, alter Henricus, qui medici obire officium incipiens anno letali h. s. XIII. obiit. Quoties illo tempore aegrotantem invit! In funere autem lacrimis temperans fecit, ut ne suis quidem admodum indoluisse videretur, etsi, quantum pectus ille afflixisset casus, tum probe cognitum est a suis, quibus solatium afferre mallet, quam ipse solandus videri. Hi illo tempore, quo scholam Nicolaitanam frequentarent, ipsam sibi per ferias scriptores Graecos et Latinos interpretatum esse aliisque rationibus studia moderatum grati praedicabant. Praeterea post mortem Seebassii philos. prof. e. o. Lipsiensis (anno MDCCCVI.) eius filiam tutandam et educan-

dam recepit et ipse in suae loco habuit. Quae his parentibus quam cara esset, si non antea perspexisset, in discessu profecto potuit cognoscere, a caro digneque viro uxori abducta. Nonnullis autem eiusque anni diebus licuit intueri laetam totius gentis imaginem. Incredibile dictu est, quo me sensu perfuderit adspectus viri tum per breve tempus cum socrum sedentis ad abacum et chartis ludentis. Impatientius virum ferre sortis iniurias, saepe iudicij calculo victum, non mirabile erat: sed laetum quandoque cum suis laetari. Tum vero oculi contractis superciliis nescio quam festive micabant, genisque rubore suffusis os referebant ad facetias leporesque compositum. Extrema senectute nepos et neptes cum parentibus septenis quibusque diebus coibant avitam domum, aut avus cum delecta coniuge in beata filii domo coenabat.

Sic tacite labentibus annis consenuit Beckius semper firma valetudine vigens, nisi quod postremis annis ex altera coxa interdum laborare inciperet. Hinc lavacris aestivo tempore sumptis dolorem si minus tollere posset, tamen levare conatus est. At tandem ea corporis pars, inflexo ad inspiciendos libros altero latere nimium diu compressa, moriendi caussam attulit. Huc enim omnis conversa est morbi vis, iam Septembri mense pro suo more levius et in pompa academica elegantius vestiti corporis infrigidatione excitati. Quae quotiescumque aliquantulum remitteret, ad vitae consuetudinem reverti et munia obire parabat. Sic erectis paulatim corporis, non animi viribus ad extremum usque vitae spiritum commentarios litterarum perpetuos incredibili studio moderatus esse dicitur. Cuius studiorum finem non nisi mors facere potuit, quae incidit in diem XIII. mensis Decembris anni MDCCCXXXII. Nec vero imparatus diem supremum obiit, sed bene ac praeclare actorum sibi conscientius. Probe recordor, quam aequo animo quum alias hanc ultimam vitae necessitatem memorare consueverit, tum in ultimis illis acad-

miae comitiis liberioribus Tittmanno Müllero et me
praesentibus dixerit, altiora se et clariora appetere,
quam restincti ornamenta luminis academici. Post mor-
tem non dissimilis sui est cognitus. Nam ut semper
amantissimus fuit in suos, sic etiam tum testatum fecit,
quo amore complexus esset fidam coniugem summis qui-
busque bonae matris familias virtutibus maxime insignem
et dignum paterno nomine filium. Denique scholae
surdorum et mutorum, cui inde ab anno h. s. XX.
praefuerat, legatis CCC Ioachimicis legati, quorum
usuris praemia discipulis illius generis melioribus dis-
pensarentur, monumentum reliquit nec auditum surdo-
rum auribus, nec mutorum ore celebratum, sed non
minus luculentum tamen, quam alia multa documenta
nominis sui apud nos immortalis futuri.

I.

INDEX MONUMENTORUM PIETATIS

BECKIO SEMISAECULARI MAGISTRO DIE XXI. M. FEBR.

A. MDCCCXXVIII. OBLATORUM.

- 1) Innovatum diploma iussu collegarum *ordinis sui*.
- 2) Diploma ordinis theologorum *Lipsiensium*, quo Beckius theol. Doctor renuntiatus est. Paullo ante ab *Erlangensibus* iidem honores in eum collati erant.
- 3) Aemilii nepotis ad Ch. Dan. Beckium avum d. XXI. Febr. a. MDCCCXIII. verba facta. Editio stereotypa. — Ex officina C. Tauchnitii. Qua enim clarissimus ille typographus in Beckium erat amicitia, nihil omisit, quo gratum ei ficeret; gratius autem facere πολυγραφωτάτῳ nihil potuit, quam ut nepotem tenellae tum aetatulae et unicum inter scriptores referret.
- 4) Fratri carissimo Christiano Danieli Beckio semisecularia summorum in philosophia honorum pie gratulatur I. R. Guil. Beckius d. XXI. Febr. a. MDCCCXXIX. Lipsiae typis C. Tauchnitii. Hic frater is ipse est, quo XLIX. annis ante disputationis socio est usus.
- 5) Libellus, quo Beckio faustum illum diem, quo ante hos L annos summis amplissimi philosophorum ordinis honoribus rite ornatus est, pie gratulantur societatis philologicae et reg. sem. philol. Lipsiensis olim sodd. d. XXI. Febr. a. MDCCCXXVII. Insunt Friderici Sturzii Novae Annotationes in Etymologicon magnum Lipsiae editum et Caroli Frid. Aug. Nobbii Carmen ad Beckium cum Indice Sodalium et librorum utriusque societatis.
- 6) V. S. V. Christiano Danieli Beckio semisecularia magisterii solemnia d. XXI. Febr. a. MDCCCXXVIII. pie gratulatur seminarium philologorum regium carmine.
- 7) Gratulatus est etiam Frid. Aug. Starke, Dioeces. Delit. ephorus, inscriptione chronosticha. Starkius est ille, qui regi Borussorum suasit, ut tertii quique dies festi maiores in Saxonum ecclesia evangelica aliquamdiu concelebrarent integri. Hic amicis suis eiusmodi chronosticha vel acrosticha apophoreta, oratione vincta vel soluta composita, offerre consuevit.

II.

INDEX MONUMENTORUM

DIEI VIII. M. MAII A. MDCCCXXIX., QUO BECKIUS
QUINQUAGINTA ANNIS ANTE MAGISTERII IURA
OPTIMA ADEPTUS EST.

- 1) Ipse a S. R. Bauero veteranorum auditorum olim suorum nomine praeclara oratione salutatus, de litterarum incrementis semisaecularibus exposuit. Vid. Narrat. meae Part. II. p. 33.
- 2) Specimen Historiae bibliothecarum Alexandrinarum, quod amplissimi philos. ord. permisso edidit Ch. Dan. Beckius Aa. Ll. M. et socio fratre Iohanne Guilielmo Beckio theolog. stud. d. VIII. Maii MDCCCLXXIX. h. l. q. c. defendet. Lipsiae ex officina Langenhemia. XXIV. pagg. form. 4. (iterum) excudebat Carolus Tauchnitzius Lipsiae d. VIII. Maii MDCCCXXIX. XVI. pagg. form. 4. cum prooemio Ludovici filii (II. pagg.)
- 3) Insignia praefecturae regii ordinis Saxonici virtutis civicae.
- 4) Viro etc. Chr. Dan. Beckio acad. h. t. Rectori magnifico etc. die semisaeculari a suscepto munere doctoris academicus gratulatur Univers. litt. Lipsiensis (Hermanno interprete). Modos carmini canendo idoneos fecit Reissiger, Dresdensis musicus inclytus.
- 5) Diploma, quo — Beckio festum ac solemnum diem gratulatur academia Fridericiana Halensis cum Vitebergensi sociata.
- 6) Ad Chr. Dan. Beckium, universitatis Lipsiensis seniorem, de mutationibus literarum ipso spectante adiuvante ornante factis epistola, qua munus doctoris academicus quinquagenarium auditorum pristinorum nomine gratulatus est Io. Aug. Henr. Tittmannus prof. Lips. Lipsiae typis Staritzii, typogr. acad. Subiecta sunt (CCCLIII) nomina eorum, qui hunc libellum scribi iusserunt. 44 pagg. in 4to.
- 7) a. Nummus memorialis, cuius exemplum aureum Beckio traditum est, eius effigiem antica parte representans hanc habet praescriptionem: Christianus Daniel Beckius L annos in academia Lips. doctor, postica inscriptionem sertis laureis cinctam: societatis philosophicae et seminarii regii in conditorem et moderatorem pietas.— D. VIII. m. Maii MDCCCXXIX.
 b. Accessit diploma nummi dedicandi caussa a me scriptum: Hoc quod tibi dedicamus numisma, vir summe venerabilis, placido, quo soles, ore accipe. Non nominis tui, quod aere perennius erit, nec laudis, quam tua reeusat modestia, sed humanitatis, cuius exemplum tu adolescentibus olim nobis praeiisti, pietatis monumentum esto, qua senem te nos partim ipsi iam senes prosequimur, documentumque, quam cara sit nobis facies tua, in qua

una fidelissime a Krügero expressa oculos defigere, quam ornamentorum accessione aspectum confundi maluimus. Vale et aetatis bene actae fructum senex percipe. Huius formulam h. l. eorum caussa addidi, qui nummum redemptum hodie possident, atque etiam illorum nomina, quorum impensis fusus erat, maximum partem philologorum, eo tempore superstitem. Multorum enim interesse duxi cognoscere, qui essent hodierni scholae Beckianae discipuli. Copiosior sane ille est omnis generis auditorum index Tittmanni libello adiectus, sed fere solorum Lipsiensium et Dresdensium. Confectus est enim brevi ante ipsum tempus festum, opus tumultuarium.

- c. Beckiani, quorum iussu numisma factum est: universitatum professores: Raabe Hal. Rost Lips. Eichstädt Ien. Hermann Lips. Schott Ien. Weiske Lips. Seidler nuper Halens. Wendt Gotting. Baumgarten - Crusius Ien. Illgen Lips. Lewald Heidelberg. ego Lips. Frotscher tum Lips. G. Dindorf Lips. Klotz Lips. Flathe Lips. Busch Rostoch. Koch Hal. partim gymnasiorum vel academiarum rectores: Sturz Grimm. Ilgen Portens. Becher Liegnitz. acad. eq. Richter Guben. Rost Thom. Lips. Siebelis Budissens. Lange postea Portens. Kiessling Cizens. Gernhard Vimar. Anton. Gorlit. Lehmann Luccav. Linge Hirschberg. Klopfer Luneburg. acad. eq. ego Nicol. Lips. Rüdiger Freiberg. Poppo Francof. ad Viadr. Stallbaum nunc Lips. Frotscher nunc Annaberg. Foertsch nunc Numburg. Professores gymnasiorum: Hartmann Grimmen. Schulze Gothan. Wolff Portens. Hildebrand nunc Düsseldorf. Müller Hamburg. Sommer Rudolstadt. Chalybaens Dresdens. Wunder Grimm. Ilgen Berolin. Prorectores gymn. Correctores aliique magistri aliis honoribus insignes: Dähne Cizens. Kessel Rossleben. Müller Torgav. Wagner Dresdens. Forbiger Lips. Sauppe Torg. Graser Numburg. Sillig Dresd. Schröter Aschersleben. Franke Fuldens. Progymnasi Dondorf. rector; Krafft. Denique etiam theologi praeter Schottum supra memoratum: Regi Sax. ab eccles. et schol. consiliis, Meissner Lips. Superintendentes: Fulda Halens. Koethe Altstad. Behr Geranus. Pastores: Stoechardt Budissens. Gaspari Numburg. Krahner Luccav. Walther Rosslanus, Rüling Colon. ad Misniam Hochmuth Lausigk. Lasch Berggiesshübel. His addendus est, qui tum vitio omissus est D. Aug. Franke Concion. aul. Dresd. et Consist. reg. ass.
- 8) Viro S. V. Christiano Dau. Beckio — memoriam diei semisaecularis, quo doctoris academicii honores rite adeptus est d. VIII. m. Maii h. a. feliciter renovanti pie gratulantur philologi Lipsienses,

societatis philol. et reg. seminarli quondam sodales intp. Godofr. Stallbaumio. Inest eius commentatio de argumento et consilio librorum Platonis, qui de re publica inscripti sunt. LXXVIII. pagg. et epist. dedicat. X pagg. form. 8.

- 9) Viro S. V. Chr. Dan. Beckio, Theol. et Philos. D. Grr. et Latt. Litt. P. P. O. Reg. Sax. a consil. aul. Ord. Saxon. Virt. civ. equiti Univers. Lips., Nation. Sax. et Ord. philos. seniori acad. Decemviro bibl. acad. praefecti alumnor. reg. ephoro semin. philos. reg. Directori Collegii mai. principum collegae, scholae surdor. et mutor. praefecto Societt. reg. Sax. antiq. patr., Iablonov. et oeconom. Lips. Lat. lenens. Volsc. Veliternae hist. Germ. Monac. reg. aliorumq. sodali acad. imper. Ross. Petropol. soc. honor. h. t. academiae Lips. duodecimum rectori magnifico semisecularia acad. doctoris solemnia etc. gratulatur seminarium philologicum regium interprete Augusto Ferdinando Dähne, sem. seniore etc. Inest de aliquibus Platonis locis commentatio critica. 32 pagg. 8.
- 10) Viro S. V. i. ac m. Chr. Dan. Beckio solemnia doctoris academici semisecularis — gratulatur societas exegetica Lips. intpr. Car. Godofr. Guil. Theile praeside etc. (Carmen. 4.)
- 10) Viro M. S. V. et I. Christiano Danieli Beckio — Thomana in celebritate famae sui quondam discipuli gaudio exultans gratulatur per eos qui nunc sunt magistros et discipulos. Inest Quaestionum logicarum particula prima de vi et natura artis logicae. Lipsiae d. VIII. Maii a. Chr. MDCCCXXIX. 16 pagg.
- 12) Viro S. V. et M. Christ. Dan. Beckio diem VIII. m. Maii a. MDCCCXXIX. semisecularis institutionis academicae auspiciorum memoria faustum et felicem esse cupiuut Rector et Collegae scholae Nicolaitanae (intp. me).
- 13) Hercules in bivio e Prodi fabula et monumentis priscae artis illustratus, argumentum epistolae ad v. m. Christ. Dan. Beckium Musarum Lipsiensium choragum datae, qua et quina decennalia doctoris academici a. d. VIII. Maii anni MDCCCXXIX. celebrata et praefecturam equestris ordinis civilis Regis auspiciis illi oblatam gratulatur Carolus Augustus Böttigerus amicus. Adiecta est tabula aenea, imaginem picturae antiquae referens. Lipsiae typis et sumptibus Caroli Tauchnitii MDCCCXXIX. 54 pagg. Praemissum est προπεμπτικόν versibus hendecasyllabis compositum 4 pagg. 8.
- 14) Sr. Magn. d. Hrn. Chr. Dan. Beck etc. an seinem 50jährigen Amtsjubiläo erfurchtsvoll dargebracht von M. Heinr. Bode, (seinem Famulus.) (Ein Gedicht in 4to.)

III.

INDEX LIBELLORUM
SOCIETATIS BECKIANAE ET REGII SEMINARII
PHILOLOGICI.

1785. Historia poeseos brevioris ab Anacreonte usque ad Meleagrum ex Anthologia Graeca adumbrata. (Ad Sturzium Dr. philos. recens creatum societatis nomine salutandum — Moldani postea rectorem — scr. Carol. Gottlob Sonntag, postero tempore Riganorum Superint. generalis.)
1785. Cleanthis hymnus in Iovem ed. Lips. 1785. Heidenreichio D. philos. creato soc. nomine scripsit F. G. Sturz.
1785. C. D. Ilgenii, p. Rect. Schol. Portens., specimen poeseos Leonidae Tarentini, quo Loebelio Doctori philos. recens creato gratulatur.
1786. A. M. Kraft, (p. Schol. Dondorf. rect.) De notione philosophiae in Platonis dial. *Egaurīc* obvia. Ad Sonntagium et Raabium Doct. phil. rec. creatos.
1786. Ren. G. Loebelii Comm. I. in Aristotelis notionem tragoeiae: qua Beckio Prof. Grr. et Latt. litt. munus adeunti soc. nom. gratulatur.
1787. Sonntagii Comm. in Prooemium Characterum Theophrasti.
1787. Dec. Laberii Prologus, Praec. Historia poeseos mimicae ap. Romanos. scr. Fr. Liebeg. Becher, p. Schol. Chemnit. Rector, Ilgenio, Kraftio, Scheibio Doct. philos. rec. cr. gratul.
1788. Hüttner, I. Ch., de Mythis Platonis. Hüttnerus postea fuit comes itineris Sinensis a Macartnio et Stauntono suscepti.
1788. C. D. Ilgenii Comm. Chorus Graecorum tragicus qualis fuerit et quare usus eius hodie revocari nequeat. Propempticon Sonntagii Rigam abeuntis.
1788. Plotini de rerum principiis. Ennead. III. Lib. VIII. Cap. 8—10 ed. et nott. illustr. F. C. A. Grimm. (Ad Becherum, nunc acad. Liegnitiensis Dir., soc. nom. salutandum.)
1789. Haberfeld (p. Superint. general. Isenac.): Euripidis ingenium ad Aristotelis Poët. C. XIII. §. 4, breviter adumbratum. (Ad Eichstädtium et Schmidtum, p. Prof. Portens. — Doctt. phil. rec. creatos.)
1793. Eichstädt de Dramate Graecorum satyrico, in primis de Sosithei Lityersa.
1794. C. G. Siebelis (nunc gymnas. Budiss. rect.) de Aeschylis Persis diatribe.
1797. C. Adolph Wagner de Alcestide Euripidea, ad Hartmannum Gymn. Guben. correct. salutandum.

1801. Commentarii Societatis philologicae Lipsiensis. Vol. I. P. I.
Sturzii Animadv. in Empedoclis carmen Spec. I.
Siebelis Tentamina Strabonis emendandi Spec. I.
Schotti (Prof. Ien. †) Obss. in Dionys. Halicarn. de Compos. verborum.
Hartmanni (Prof. Grimm. †) De Plat. Symp. loco quodam.
Singulis quibusque Voluminibus Beckius praefatus litterarum hoc in genere studia sive libros novissimos censuit.
1801. Commentarii Societatis philologicae Lipsiensis Vol. I. P. II.
Sturzii Animadv. in Empedoclis carmen. Spec. II. et Pro- gramm. De Graecor. nominibus.
Siebelis Obss. crit. in Strabonem Spec. II.
Hermannii Epistola ad Beckium de dramate comicо-satyrico.
1802. Commentarii Societatis philologicae Lipsiensis Vol. II. P. I.
Rostii Obs. crit. ad Cic. Epp. ad Fam. Sp. I.
Sturzii Obss. de nomine ἀθεος.
Siebelis Obss. in aliquot Apollodori locos.
Schotti Obss. in Dionys. Hal. Rhetor. Spec. I.
1802. Commentarii Societatis philologicae Lipsiensis Vol. II. P. II.
Sturzii Symbolae ad defensionem H. Stephani et de locis nonnullis Xenophontis.
Rostii Obs. ad Cic. Ep. ad Fam. Spec. II.
Schotti Obss. ad Dionys. artem rhetoricaem.
Hartmann De Erote Socratis.
1802. Commentarii Soc. philol. Lips. Vol. III. P. I.
Schotti Obss. in Dionys. Hal. Rhetor. Spec. II.
Gernhardi (nunc Gymn. Vimar. Dir.) Obss. in Sophocl. Philoctetam, ad Erfurdt. Gymn. Martisburg. Conr. et Bräunigerum Gymn. Plav. Conr. salutandos ser.
Meissneri (nunc Reg. Sax. ab Eccl. et Schol. consil.) Obss. in Aeschyli Prometheus Spec. I.
1803. Commentarii Soc. philol. Lips. Vol. III. P. II.
Aug. Gottl. Hoffmanni, Subrect. Gymn. Isleb., Prolegomena ad Chionis epistolarum futuram edit. conscripta.
Gernhardi Obss. in locos quosd. Ciceronis.
1804. Commentarii Societ. phil. Lips. Vol. IV. P. I.
Siebelis Obss. critt. in Pausaniam.
Schotti Obss. de locis quibusd. Promethei vinci Aesch.
Hermannii Comment. de verbis, quibus Graeci incessum equorum indicant: ad Xenoph. de Re equestri Cap. VII.
1808. Chr. A. Emmerlingii, (post Probstheydensium pastoris)
Commentatio de Locis nonnullis in Taciti Germania. (Nostitio Kindio Reinhardo legatis reg. inscripta,)
1809. Chr. Dan. Beck, Dir. Societatis in reg. philol. seminarium mutatae libellum de consiliis et rationibus seminarii philol. edidit.

1809. C. A. Ranitzii (postea Past. Radefeld. prope Delitium) Comment. de Libris Cicer. Academicis Adi. Disput. de cap. I. Libri II. spurio. Idem Regi seminarii conditori sodalium nomine gratias agit.
1811. Luciani Charon et Contemplantes. In usum schol. textu passim emendat. adnotationibusq. subi. ed. Lehmann (nunc Gymn. Luccav. Rect. tum Conr.) et Seminario librum inscripsit.
1811. Mülleri (O. Maur. nunc gymn. Coesslin. Dir.) Dissert. de Cic. libris III de Oratore etiam post criticor. curas nondum satis castigatis; ad Ranitzium et Emmerlingium pastores, Wolffium Gymn. Guben. Correctorem, nunc Prof. Port. et Waltheram Gymn. Torgav. Subrectorem salutandos scr.
1811. Commentarii Reg. Seminarii philol. Lips. Vol. I.
 Beck De virtutibus philologi et seminariis philologicis.
 Franc. Passow. Symbola ad Schneideri Lexicon Graecum.
 Hermanni Diss. de Pronomine *αὐτός*.
 Lange (p. Rector. Schol. Portens.): Dialogus de Oratoribus Tacito vindicatus.
 Baumgarten - Crusii (n. Prof. Ienens.) Recitatio de studiis philologicis.
 de Timkowsky (post Prof. Moskoviens.) Commentatio de Di-thyrambis eorumque usu ap. Graecos et Romanos.
1812. Commentarii Reg. Seminarii philol. Lips. Vol. II. P. I.
 Langii Silvulae Portenses.
 Beckii Comment. de libris Cic. Acad. contra Goerenzii rationes defensa.
1813. Commentarii Reg. Seminarii philol. Lips. Vol. II. P. II.
 Lossii (Gust. Ferd. Catech. Petr. Lips. †) Comment. de Codd. Paris. Luciani Dialogg. Mortuorum. Ipse per Galliam iter fecerat.
1816. Chr. Phil. Eberh. Wagner (post gymn. Guben. Conr. nunc scholae ad Crucis aed. Dresd.) Popponi tunc Conr. gymn. Guben. (nunc Francof. ad V. Dir.) gratulaturus, Eleg. ad Mes-salam ed. et Comment. de auctore et Obss. instruxit.
1817. Chr. Dan. Beck Sem. Dir. libellum ed. hoc titulo inscriptum: Sacrorum emendatio philologiae coniunctissima. (Ad sodales.)
1828. Sturz Obss. in Etym. M. adiecto carmine meo. Cf. Indicem I. Nr. 5.
1829. Stallbaumii Comment. de argumento et consilio librор. Plat. de Rep. Vid. Ind. II. Nr. 8.
1829. Kochii (n. Prof. Hal.) Comment. de Aliquibus Platonis locis. scr. Beckio gratulaturus. Cf. Indicem II. Nr. 9.